

*Horrenda totas scapulas caput occupat ingens
Gorgonis, idque intra Cibisin latet.*

Erant Gorgonibus Capita squamosarum anguium spiris
oblita, dentes præterea tantæ magnitudinis, quantæ suum
esse videntur; ad hæc manus æneæ, & alæ aureæ, quæ qui-
cunque obtuerentur, eos in saxa omnes commutabant. A-
pollodorus *lib. 2.* Apparet igitur Perseum cum capite Me-
dulæ, ut nostra exhibet tabula, pingendum. Malè vulgatæ
formæ, Rasdalgol alas, omittunt, ita præter innumera pænè
numismata, domesticum testatur exemplum, quod monu-
mentorum suorum *fol. 113.* Clariss. August. Reip. II. Vir Mar-
cus Velferus, affabrè describi ac delineari curavit.

Bojariæ & Sueviæ, Gorgonis Astrum oritur cum Sole
IV. Kal. Febr. mox XIV. Kal. Mart. ante Solem cernitur. III.
Id. Maji post eundem vesperi, absconditur.

TABULA XII. Lit. M.

AURIGA.

*Aurigator, Agitator currus, Custos caprarum, Myr-
tylus, Retinens habenas, Erichteus vel Erichthonius, ἠνίοχ, Ha-
benifer, Habens hircum capellas hædos oleniam capram, Ἰππηλά-
της, Ἐλάσιππος, Ἀρμηλάτης, Διφριλάτης, Mahumetanis Mulus
clitellatus, Isidorus Maυοrtem dicit, rectius Maforte, in Te-
trabiblo Hora, pro Roh, aut Roha, Arab. Alhajot,
seu Alhatod.*

DIARTHROSIS.

3	α	<p>AD dorsum seu dextrum humerum ful- gens. Hircus, Capra, Capella, Arato Ἀϊξιδωλένια, Amalthea & Iovis nutrix poë- tis, Arab. Alhatod, perperam Ophiultus.</p>	1 } 1
---	---	--	-------

In